

reconditur, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur¹; ponit enim actum per se licitum, et cum sufficienti ratione.

Petes 8^o utrum sit semper peccatum scandali, petere ab alio quod non est facturus sine peccato.

Resp. 1^o. Petere aut consulere absolute opus quod fieri non potest absque peccato, est semper peccatum scandali; quia hoc est directe inducere alterum ad peccandum. Dixi, « absolute, » quia, si quis esset determinatus ad grave peccatum, liceret ei suadere minus. Sensus enim non est quod absolute faciat minus, sed conditionaliter: « Si decrevistis facere malum, fac potius minus. »

Resp. 2^o. Si res quæ petitur fieri possit absque peccato, quamvis prævideatur alterum eam non facturum absque peccato, non est peccatum, justa subsistente causa, illam ab eo petere. Sic in necessitate licet petere mutuum ab usurario, sacramenta a malis ministris; quia qui sic petit ex justa causa, petit quod justum est et rationabile, et quod alter potest bene facere, si velit.

Petes 9^o quid sentiendum sit de ornatu mulierum.

Resp. 1^o Ornatus moderatus, pro decencia status, est per se licitus. Si eo utatur mulier ex levitate aut vanitate, peccat venialiter, propter inordinationem voluntatis². 2^o Ornatus excessivus, id est conditionem excedens, est per se venialis. Fit vero mortalis, si fiat ad provocandam virorum lasciviam, vel cum prævisione quod provocari debeat. 3^o Ornatus immodestus, qualis hodie in quibusdam conventiculis usitatur, est culpabilis, pro gradu immodestiae. Peccatum est semper grave, etiamsi indecentia non sit gravis, si talis ornatus adhibeatur ad luxuriam incitandam. Peccant certe mortaliter mulieres quæ talem modum se componendi introducunt in loca ubi nondum vigeat, propter periculum quod inde pluribus nascitur³.]

1. Id., ibid. — 2. Id., ibid., n. 54. — 3. Id., ibid., n. 55.

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA

D. Thomas, II^a II^e, a. q. 57 ad q. 76.

DISSERTATIO I

DE JURE ET DOMINIO

ARTICULUS I

Quid et quotuplex jus?

Dico 1^o: Varie accipitur nomen *juris*: 1^o pro eo quod justum est. Justum autem dupliciter sumitur: generaliter, pro omni eo quod est legi consonum; stricte, pro æqualitate alteri debita; dicuntur enim vulgariter ea quæ adæquantur justari. Et jus sic sumptum est objectum justitiæ, ut infra dicemus.

2^o Jus accipitur pro legitima facultate aliquid faciendi, acquirendi, possidendi, alienandi, etc.: quo sensu quis dicitur uti jure suo. Jus autem hoc secundo modo sumptum est fundamentum juris primo modo sumpti. Nihil enim est alteri debitum ad æqualitatem, sine jure in altero, quia quod est debitum, est juri debitum; sunt enim correlativa jus et debitum.

3^o Sumitur jus pro lege, quæ est regula justii in genere. Unde ab hoc jure pendet jus secundo modo sumptum;

quod enim aliquis habeat jus ad aliquid, id ipsi tribuitur vel a lege naturæ, vel a lege positiva, vel saltem ex concessione libera Dei vel hominum. Quapropter

Dico 2^o : Jus hoc triplici modo sumptum potest eadem divisione dividi in jus naturale et positivum.

Et quantum ad jus sumptum pro lege, patet; quia lex alia naturalis, alia positiva. Non ponitur lex æterna, quia hæc divisio fit in membra omnino diversa; lex autem naturalis non est quid omnino diversum a lege æterna, sed est ejus participatio in rationali creatura, ut docetur 1^a 2^e, q. 91, a. 2, ad 1.

Jus positivum dividitur in divinum et humanum. Divinum aliud veteris, aliud novi Testamenti. Jus positivum humanum dividitur in jus gentium, jus canonicum et jus civile. Jus canonicum, quod nos specialiter spectat, conflatur ex canonibus conciliorum, decretis Pontificum et sententiis Patrum.

Jus sumptum pro justo, similiter dividitur adæquate in jus naturale et jus positivum¹; quia jus sic sumptum est justum, seu alteri adæquatum. Atqui dupliciter potest aliquid esse alteri adæquatum. Uno modo, ex natura rei, puta cum aliquis tantum dat ut tantumdem recipiat, et hoc vocatur jus naturale. Alio modo aliquid est alteri adæquatum seu commensuratum, ex beneplacito ponentium, ut dum duæ personæ privatæ sic inter se paciscuntur, vel communitas consentit tale quid esse habendum pro justo, vel princeps lege statuit ita esse; et hoc dicitur jus positivum. Cæteræ subdivisiones ut in divisione legis.

Jus sumptum pro « facultate legitima, etc. » dividitur etiam, ex parte principii, in naturale, quod lege seu concessu naturæ competit, et in positivum, quod lege positiva vel libera Dei aut hominum concessione competit. Cæteræ subdivisiones ut in divisione legis. Item hoc jus ex parte termini quem respicit, dividitur in jus in re et jus ad rem.

1. Hic q. 57, a. 2, o.

Jus in re est quod quis habet in re jam sua et obtenta. Unde dat actionem realem in ipsam rem. Ad hoc requiruntur tres conditiones: existentia rei, legitimus titulus, ut emptio, donatio, etc., et traditio rei. Ita, exceptis quibusdam casibus, jus disposuit.

Jus ad rem est quod quis habet ut res aliqua fiat sua. Ad hoc nulla alia requiritur conditio, quam legitimus titulus. Non dat actionem in ipsam rem, sed in personam tantum. Tale jus acquiritur per donationem, emptionem, etc., ante traditionem. Item per electionem, præsentationem ad officium, per collationem beneficii ante acceptance, etc.

ARTICULUS II

Quid et quotuplex sit dominium? Quid ususfructus et usus?

Cum jus secundo modo sumptum, pro facultate aliquid faciendi, acquirendi, etc., sit fundamentum juris seu justii, quod est objectum justitiæ, multa de illo scitu necessaria occurrunt discutienda, maxime de dominio, quod est præcipua ejus species.

Duplex est dominium: unum jurisdictionis, quod est potestas gubernandi suos subditos; alterum proprietatis, quod est facultas disponendi de aliqua re ut sua in proprium commodum, et de illo hic potissimum agitur.

Dominium proprietatis iterum est duplex: unum plenum et perfectum, aliud non plenum et imperfectum. Dominium plenum est jus ad rei proprietatem et ejus emolumenta. Non plenum est jus ad proprietatem rei absque emolumentis, et dicitur dominium directum, quale, v. g., competit principi respectu feudi; vel jus ad emolumenta absque proprietate, et dicitur dominium utile, et tale competit usufructuariis, feudatariis, emphiteutis, etc. Itaque

Dico 1^o: Dominium proprietatis plenum et perfectum,

prout directum et utile complectitur, recte definitur : « Jus in re, seu facultas legitima disponendi de re, tamquam sua, ad quemlibet usum lege non prohibitum, in proprium commodum. » Colligitur ex D. Thoma, hic q. 66, a. 1, o.

Dicitur, « ad quemlibet usum lege non prohibitum; » quia, licet dominium ex natura sua tribuat potestatem ad qualemcumque usum, potest tamen hæc potestas impedi per legem ne exeat in actum : ut fit in pupillo, qui ante legitimam ætatem non potest bona sua alienare, licet sit verus illorum dominus; unde, si alienaret, non peccaret contra justitiam.

Eædem autem conditiones requiruntur ad perfectum dominium, quæ requiruntur ad jus in re, scilicet : existentia rei, legitimus titulus et traditio rei.

Dico 2^o : Ususfructus definitur : « Jus utendi fruendique rebus alienis, salva earum substantia. » Ita in jure.

Dicitur, « fruendi, » ut distinguatur a simpliciter usu. Qui enim habet simplicem usum, potest tantum uti re, v. g., equo, domo, horto, agro, silva, etc., ad necessitatem propriam et quotidianam, ita ut nec superfluos fructus nec jus quod habet possit alteri locare, vendere, aut gratis cedere; cum is qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere, ita L. 12, ff de Usu.

Fructus autem reputantur non solum in immobilibus, ut in fundo fœnum, segetes, virgulta, arbores cæduæ, *bois taillis* (fructiferæ enim non reputantur fructus), sed etiam in mobilibus, ut in grege lana, lac, fœtus, etc. Ubi nota, silvam cæduam, etiamsi intempestive cæsa sit, esse in fructu, sicut olea immatura lecta, item fœnum immaturum cæsum. L. 48, ff de Usufructu. Quoad messem vero et vindemiam, expectanda est maturitas usufructuario.

Nota insuper quod, si usufructuarius moriatur antequam collegerit fructus, etiamsi maturos, hi acquirantur domino proprietatis, et non hæredibus fructuarii. Ita in Instit. de Rerum divisione, § Is vero. Ratio est, quia quam-

diu adhærent fundo, censentur unum cum ipso. Unde pertinent ad dominum fundi, donec fructuarius eos colligendo fecerit suos.

Dicitur, « rebus alienis; » quia ususfructus est servitus, quæ non nisi in rebus alienis constitui potest. « Nemini enim res sua servit, sed prodest jure domini, » ut dicitur L. 26, ff de servitute prædior. rustic.

Dicitur, « salva rerum substantia; » quia usufructuarius debet rem integram proprietario reservare. Unde ususfructus non potest proprie constitui in rebus quæ unico usu consumuntur, ut in vino, oleo, etc.

Dico 3^o : Usus definitur a juristis : « Jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia. »

Dicitur jus utendi tantum, et non fruendi; quia, ut jam dixi, simplex usuarius potest tantum fructus rei, ut olera, poma, fœnum, in propriam et quotidianam necessitatem percipere, sed eos non potest vendere seu donare, nec rem ipsam locare; quod potest usufructuarius.

Dicitur, « salva rerum substantia, » quia in usu, sicut in usufructu, debet res integra conservari domino.

Ex quo habes hanc usus definitionem non competere rebus unico actu consumptibilibus, ut vino, oleo, pani, etc.; quia per talem usum non manet salva rei substantia. Unde, si generalius sumatur usus, prout convenit rebus tam unico actu consumptibilibus, quam non consumptibilibus, est « jus utendi re aliena. »

Circa hunc usum rerum unico actu consumptibilium magna fuit olim concertatio, non solum inter theologos, sed etiam inter Pontifices : utrum distingueretur a dominio? Pro cujus resolutione sit

ARTICULUS III

Utrum usus in rebus unico actu consumptibilibus distinguatur a dominio?

Duplex distinguitur usus : unus independens et irrevoc-

cabilis ad nutum concedentis, ut in mutuo; alter dependens et revocabilis ad nutum concedentis, qualem habent convivæ ad dapes appositæ, religiosi particulares ad cibum aut potum sibi a superiore concessum; hæc enim, sive dapes, sive cibi et potus, quamdiu existunt, a domino vel superiore auferri possunt absque injustitia.

Usus irrevocabilis vocatur a Nicolao III, cap. *Exiit, de verborum signific.* in 6^o, et a quibusdam theologis, « usus juris, » quia est jus absolutum et solidum. Usus revocabilis vocatur usus facti; quia jus quod importat aut supponit, est valde debile, utpote dependens a voluntate alterius.

Dico: Usus revocabilis in rebus uno actu consumptibilibus, distinguitur a dominio.

Prob. 1^o. Separatio est manifesta realis distinctionis probatio. Atqui usus revocabilis, ut in conclusione, est separabilis a dominio. Ergo. — *Prob. min.* Qui concedit alteri facultatem utendi re sua, retinendo potestatem revocandi pro nutu hanc facultatem et disponendi de re sua ad quem voluerit usum, is concedit usum et retinet dominium. Ergo. — *Prob. ant.* Quod concedat usum, per se patet. Quod retineat dominium, probatur. Ille est vere dominus, qui rem suam ad se pro libitu revocare potest, nullo contractu interveniente, et de ea ad quemlibet usum disponere. Ergo.

Prob. 2^o. Religiosi particulares habent usum eorum quæ ipsis conceduntur ad victum, revocabilem a superiore. Atqui non habent eorum dominium, cum per votum paupertatis abdicaverint omnium rerum dominium et proprietatem¹. Ergo.

Confirmatur exemplo quo utitur Nicolaus III. Paterfamilias præbens hospitibus convivium, dat eis ciborum usum ad nutum suum revocabilem. Atqui tamen non transfert eis dominium. Ergo. — *Prob. min.* Convivæ non sunt domini eorum quæ mensæ apponuntur, nec illis uti

1. Hoc intelligitur de ordinibus religiosis perfectis, in quibus pronuntiantur vota solemnia.

possunt ad quemlibet usum, sed tantum ad comedendum, idque sic dependenter a voluntate patrisfamilias, ut nullam injustitiam committeret, si quæ exposuit tolleret. Ergo.

Ita nobiscum sentiunt Nicolaus III, Clemens V, et ante illos Alexander III et Gregorius IX, Soto, Navarrus, Sylvius, Lessius, et alii plures cum integra Scotistarum schola.

Obj.: Joannes XXII, Extravag. *Ad conditorem*, asserit contrarium nostræ sententiæ, et ait, quod dicere in talibus rebus usum separatim posse constitui a dominio, repugnet juri et obviet rationi. Ergo, vel ille, vel prius laudati Pontifices erravere.

Resp. 1^o esto admittamus Joannem XXII in hac parte errasse, nihil sequi absurdi, cum non sit materia fidei aut morum, sed partim naturalis, partim civilis: et aliunde id dixerit non definiendo ut Pontifex, sed ratiocinando ut doctor particularis.

Responderi potest 2^o nec in hoc errasse Joannem XXII; quia non sumit dominium stricte et proprie, sed late et improprie pro jure etsi tenuissimo, seu potius pro licentia utendi re eam consumendo, quæ cum in rebus usu ipso consumptibilibus quoad effectum æquivalet dominio (Fratres enim Minores æque libere cibos consumunt, ac si essent domini), ideo Pontifex hoc jus licet tenuissimum et revocabile vocavit dominium, æquivalenter scilicet et similitudinarie. Hanc solutionem innuit glossa in Clement. *Exivi de Paradiso*, § *Proinde*.

ARTICULUS IV

De possessione.

Petes 1^o quid sit possessio.

Resp. Possessio dicitur a *pedum positione*, quia per pedum positionem super immobilia solet acquiri. Defini-

tur communiter : « Detentio rei adminiculo corporis, animi et juris. »

Explicatur. Dicitur, « detentio : » quo nomine intelligitur etiam prima apprehensio, quæ est possessionis inceptio et acquisitio.

Dicitur, « rei, » non solum corporeæ, ut agri, domus, aut mobilia, sed etiam incorporeæ, ut census, beneficii, servitutis, et similium jurium, quæ dicuntur quasi possideri.

Dicitur, « adminiculo corporis ; » quia non incipit, nec est possessio, nisi adveniat actus externus seu corporeus, quo vel pede, vel manu, vel oculis, vel alio simili modo apprehendatur res in se vel in alio in quo contineri censeatur, ut dicam modo.

Dicitur, « adminiculo animi ; » quia requiritur intentio rem sibi et non alteri possidendi et detinendi. Unde depositarius non proprie possidet depositum, nec tutor bona pupilli.

Dicitur, « adminiculo juris, » non quod necesse sit ut jus eam approbet, alias omnis possessio foret justa, sed quia ad possessionem requiritur ut jus non impediatur quin rei detentio censeatur ejus possessio. Qua de causa, detentio rei sacræ a laico non est possessio, nequidem facti, jure id prohibente; detentio vero rei furtivæ profanæ, licet injusta, est tamen vera possessio facti, quia jus non impedit quin talis rei detentio sufficiat ad possessionem.

Petes 2° quotuplex sit possessio.

Resp. Inter varias possessionis divisiones (alia enim est justa, alia injusta, alia proprio nomine, alia alterius nomine), præcipua est in *civilem, naturalem et civilissimam.*

Civilis est quæ corporis adminiculo inchoata, solius animi adminiculo retinetur et continuatur. Sic civiliter possidet, qui abest a rebus suis, sed animo et facultate eas retinet et occupat ut suas, quamdiu per alium a possessione non dejicitur. Dicitur *civilis*, quia magis constat jure civili quam naturali, cum modus naturalis possidendi

sit per corporalem insistentiam, et etiam quia parit effectum civilem, scilicet præscriptionem.

Naturalis est qua res corpore simul et animo occupatur. Censetur autem quis corporaliter occupare, quando ita rei vicinus est, ut illi possit continuo adesse. Hæc naturalis possessio potest separari a civili : nam fur, v. g., rem meam possidet naturaliter, ego civiliter, donec per abstractionem ejus de loco in locum ponatur extra meam custodiam ; tunc enim a civili possessione dejicitur.

Civilissima est quæ sola legis dispositione acquiritur, etiam ab inscio, adeoque sine corporis et animi adminiculo. Sic hæres parvulus defuncti hæreditatem possidet, præsertim in Gallia et patria Leodiensi, ubi mortuus induit vivum : *Le mort saisit le vif.* Ratio est, quia modus acquirendæ possessionis humano juri subjacet, quod potest diversos modos statuere, prout magis videtur expedire reipublicæ.

Petes 3° utrum, amissa possessione, semper amittatur dominium.

Resp. negative. Etenim rei amissæ vel furto ablatae amitto possessionem, non tamen dominium.

Petes 4° quæ sint privilegia possessionis.

Resp. Præcipua privilegia possessionis sunt : primum, quod pariat præscriptionem ; secundum, quod in dubio sit melior conditio possidentis ; tertium, quod non sit possessoris probare quod res sit sua, sed oppugnantis probare quod non sit. De possessione vide plura apud legum interpretes.